



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*PURISSIMA VIRGO* IMAGO MARIAE SANCTISSIMAE QUAE IN ECCLESIA

OPPIDI V. D. BUDSLAW COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Purissima Virgo Maria a imago Ecclesiae est, forma et anticipatio humani generis gratia renovati, exemplar spesque certa iis omnibus qui caelestem ad Hierosolymitanam civitatem procedunt (*Oriente lumen*, 6). Quapropter per saeculorum decursum Ecclesia Dei Genetricis auxilium iugiter imploravit eiusque virtutes apertis vocibus extulit. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Casimirus S.R.E. Cardinalis Świątek, Archiepiscopus Minscensis Latinorum - Mohiloviensis Latinorum, Litteris die XXIX mensis Martii datis, communia vota cleri et Christifidelium excipiens, poposcerit ut Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri posset gratiosa imago Deiparae quae in ecclesia Beatae Mariae Virgini in caelum assumptae oppidi v.d. Budslaw religiose colitur, Nos huiusmodi piaae petitioni libenti animo obsecundare volumus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate petenti Praesuli concedimus ut supra dictae imagini Nostro nomine et auctoritate sollemni modo pretiosam imponat coronam, firma spe ducti fore ut apud populum Marialis cultus fides vitaque christiana maiorem incrementum deducant. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Iunii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana